Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 209
Quelle:
Copyright:

LXXXVII. VIII B. 19

119 Codex membraneus lat. Sec. XIV. exeuntis, Folior. 273. f. per duas columnas ſcriptus et rubricis diſtinctus continet I. *Partem tertiam* vaſti *Commentarii in Pſalterium Honorii* dicti *Solitarii*, quem eundem eſſe putant cum *Auguſtodunenſi* Presbytero et Scholaſtico Sec. XII. Scriptore, quibusdam *Gallo*, aliis vero *Teutone*, ut videre eſt apud *Fabricium* et *Hambergerum*. Titulus miniatus ita habet: *Incipit expoſicio in tercio Quinquagintale honorij ſolitarij*. Initium Operis: *Quatuor ſunt genera prophetie, ſit enim aut per acta, aut per dicta* &c. Pſalmo cuivis praemittitur *Introductio*, et poſt Pſalmos exponuntur etiam *Cantica biblica, Hymnus Ambroſianus, Oratio dominica, Symbolum Apoſtolorum; Symboli* vero *Athanaſio* vulgo tributi tantum adſunt προλεγομενα, quorum finis: *Et nouerint in hoc opere nil eſſe meum praeter ſolum laborem ſentencias autem eſſe ſanctorum*. Et rubro: *Laudetur ſancta trinitas deo dicamus gratias Amen*. Fontes *Honorii* praeter vetuſtos PP. praecipui ſunt *Caſſiodorus* et *Rabanus*. Codices, in quibus integri hi Commentarii habentur, enumerat *Bern. Pezius* in *Diſſert. Iſagog. in* T. II. *Theſ. Anecdot.* p. 9. atque *eod.* T. ad *col.* 95. *ſelectos* ex Cod. *Gemnicenſi Pſalmos* exhibet. Univerſi lucem nondum videre.

II. *fol.* 126. p. 2. *Johannis de Lignano* vico agri Mediolanenſ. ſed 1378. Civitate *Bononienſi* donati, ibidemque Juris eccl. Doctoris usque ad an. emortualem 1383. Opuſculum hoc rubro: *Tractatus de Horis Canonicis dicendis editus per Jo. de Lignano*. Praemittitur Elenchus XII. *Quaeſtionum*, quibus conſtat, quaeque deinceps fuſe diſcutiuntur hoc initio: *Ad honorem illius cuius ſunt opera inſeparabilia, ſcilicet ſancte et indiuidue trinitatis* &c. Deſinunt: *ad aliquas horas peculiares uel uigilias mortuorum obligatur*, et rubro: *Explicit tractatus de horis canonicis dicendis cum queſtionibus editus per venerabilem Dominum Johannem de lignano vtriusque Juris doctorem &c.* Impreſſus habetur in Collect. *Tractatuum Juris Venetiis* 1584. T. XV. P. 2. f. 558.

III. *fol.* 132. rubro *Incipit Prefacio beati Jeronimi presbiteri in libro interpretacionis hebraicorum nominum*. Initium: *Philo vir diſertiſſimus iudeorum* &c. Totus liber, ut in Edit. *Vallarſiana* Opp. *Hieronymi* T. III. p. 1. ſed non ſine lectionis varietate, *Martianaeo* et *Vallarſio* ſubin haud adnotata.

IV. *fol.* 151. rubro: *Incipit prefacio domini Euſebij Sophronij Jeronimi in libro locorum ab Euſebio pamphili ceſarienſi epiſcopo prius edito quidem in greco. ſed a prefato Jeronimo poſtmodum diligencius ad latinum ſtilum translato*. Praefationis initium: *Euſebius qui a beato Pamphilo martire* &c. Et hunc Librum habes *edit. ſupracit.* T. III. p. 121. Sed *Nomina regionum*